BVLLA, S.D.N. CLEMENTIS Papæ. VII. Intimatoria, quod ſua Sanctitas deinceps non intendit diſpenſare cum his qui ſcienter & ſub ſpe ueniæ cõtraxerint matrimonia in gradibus prohibitis, ſed tantummodo eos abſoluet, & ſeparabuntur.



CLEMENS

EPISCOPVS, Seruus seruorũ dei, Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis locorũ ordinariis Salutem & apostolicã benedictionẽ.

QVia plerunq; in futurorum euentibus, imbecillitas humani iudicii adeo fallitur, ut quod utile non solum coniectura, sed etiam attenta & prouida consideratio pollicebatur, id prorsus inutile, ac animarum saluti maxime damnosum reperiatur, propterea nonnunquã expedit, ut gratiæ quæ olim consulto, & rationabili de causa concedi uidebantur, multo consultius in posterum denegentur, id quod necessitas præsentis prouisionis euidenter ostendet. Sane postquã felicis recordationis Clemens Papa. V. prædecessor noster in Concilio Viẽnẽsi eos, qui diuino timore postposito, in gradibus cõsanguinitatis & affinitatis cõ-

tra canonicas ſanctiones matrimonia ſcien-
ter in ſuarum periculum animarum cōtra-
here præſumpſiſſent, excōmunicationis ſen
tentiæ ipſo facto decreuerat ſubiacere, præ-
cipiendo eccleſiarum Prælatis, ut tales tan-
diu excōmunicatos publice nuntiarent, ſeu
nuntiari facerent, donec ſepararētur ab in-
uicem & beneficiū abſolutionis obtinerēt,
ſedes apoſtolica & Romani Pontifices præ-
deceſſores noſtri conſiderantes grauia oriri
poſſe ſcādala, ſi matrimonia huiuſmodi ſciē
ter contracta & carnali copula cōſummata
per diuortium dirimerētur, ad obuiandum
huiuſmodi ſcandalis, & ne mulieres perpe-
tuo diffamatæ remanerent, inducebātur ad
diſpenſandum cum illis, qui in gradibus hu-
iuſmodi prohibitis matrimonia ipſa ſciēter
contraxiſſent. propter quod multi uolentes
in gradibus prohibitis matrimonia contra-
here, ac ſperantes ueniam & abſolutionem
ac diſpenſationem a ſede prædicta facilius
obtinere poſſe, illa paſſim cōtrahere & car-

nali copula ſub tali ſpe cõſummare p̄ſum-
pſerũt. Quæ abuſio & corruptela cum iandiu propter inueteratam hominum maliciam & nimiam dictæ ſedis in abſoluendo ac diſpenſando facilitatem adeo creuerit, ut cupientes in gradibus prohibitis huiuſmodi contrahere, nullo pacto id facere uereantur, & unde ſcandalis remedia petebantur, inde ſcandalorum materia & occaſio nata uideatur, Nos quorum intereſt agrum domini ita colere, ut uirtutes in eo creſcant, abuſiones uero quæcunq; tollantur, ac malis moribus uia & aditus omnis præcludatur, huiuſmodi fraudibus & dolis per quos multi diſpenſationes in præiudicium animarum ſuarum a nobis extorquere, ac clementia, & miſericordia apoſtolica ſub ſpe ueniæ, quæ ut experientia rerũ magiſtra docet, peccandi uiã pandit, abuti non ceſſant, obuiare uolentes, habita ſuper his cum fratribus noſtris matura deliberatione, de ipſorum fratrum cõſilio, omnibus denuntiãdum ſeu intimandũ

duximus,quod in posterum cum illis qui in gradibus prohibitis matrimonia sciēter con traxerint,etiam si illa cōsummauerint, non intendimus dispēsare, sed illa,scādalis quæ oriri posse formidaretur, minime attentis, omnino separari mandabimus,absolutionē dūtaxat petentibus misericorditer cōcessuri,cum gratia dignus non sit,qui canonum conditorem cōtemnit,illiq; cū animæ suæ detrimento iniuriam facit. Et ut intētio nostra facilius ad effectū perducatur,ac omnibus innotescat, Vobis & uestrum cuilibet in uirtute sanctæ obedientiæ mandamus,quatenus præsentes literas seu earum transumpta, quibus manu publici Notarii subscriptis, & alicuius Prælati, seu in ecclesiastica dignitate constituti sigillo munitis,eandem prorsus fidem, ac ipsis originalibus literis præstari uolumus in singulis ecclesiis Ciuitatum & dioces. uestrarum, etiam uulgari sermone publicari, & ipsarum ecclesiarum ualuis affigi faciatis,ne aliquis ullo unquam

tempore, huius nostræ incōmutabilis intentionis & uoluntatis ignorantiam prætendere seu allegare possit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ intentionis mandati & uoluntatis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrū Anno incarnationis dominicæ Millesimo quingentesimo uigesimo quarto, sextodecimo Calē. Septemb. Pontificatus nostri Anno Primo.